



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

De odo ratu, cap. 9.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

& pulmones factam. Quare cum illi nec pulmones habeant, quibus aerem suscipiant; nec omnino respirent, sed aqua sola per branchias refrigerentur; ne arteriam quidem habere debuerunt.

Qui vero eos arbitrati sunt habere vocem, quod sonum quempiam edant, ut ij, qui sunt in Acheloo; proflus errarunt. Iam enim dictum est eum sonum non esse vocem; & qui vocem appellarunt, vocis naturam assequuti non sunt, nec eam à sono distinxerunt. Quæ porò sit causa, cur pisces arteria, pulmonibus, & omnino respiratione careant; alio potius loco explicandum est, neque ad rem præsentem pertinet: sed tum in libris de partibus animalium, ut inquit Philoponus, Simplicius, & Auerroës; tum in libro de respiratione considerabitur. Causa autem est, tum quod in aquis degant, ubi aer non est, qui pulmonibus inspirari, & expirari possit: tum quod satis est illis aque per branchias susceptæ refrigeratio.

Digestio XLVIII. Num respirent pisces.

NVM pisces omnino respirent, fuit inter antiquos disputatum: & nostris temporibus Hieronymus Cardanus aduersus Rondeletium, qui hac de re librum scripserat, multa sanè proposuit in 7. libro de rerum varietate, cap. 37. Sed Democritus animalibus omnibus respirationis usum voluit esse communem. Anaxagoras item, & Diogenes. Alter propterea pisces tradidit respirare; quod dum emittunt aquam, hac impetu motus rarefacta mutatur in aerem, quem egrediente aqua necesse est inspirari, ne detur vacuum. Quasi verò alia præstio non sit aqua. Alter, quia cum aqua permixtus est aer, attractaque aqua sic attrahitur aer. Eadem Hipp. fuit sententia in libro de flatibus. Neque mare, inquit, spiritus exors est. Non enim viuere natantia animalia possent, si non spiritui participarent: quo modo autem participarent, si non per aquam, & ex aqua spiritum attraherent? Sed præterquam quod hi loquuti solum sunt de inspiratione, non de respiratione tota; facile Aristoteles tum hoc loco, tum in cap. 5. lib. de respiratione demonstrauit pisces non respirare.

Scio non defuisse viros doctos, qui in suis ad eum Hipp. librum annotationibus Aristotelem cum Hipp. conciliare voluerint; ut alter manifestam, & copiosam respirationem, aerisque attractionem negauerit; alter exiguam, tenuemque concesserit. Alio qui, inquit, nullo tempore extra aquam viuere possent; cum non pauci per horas multas viuere conspiciantur. Verum, ut eos mittam de respiratione piscium extra aquam viuentium Hipp. & Aristotelis verba interpretati, dum illi de respiratione in aqua disputent. Sanè Philosophi nostri argumentatio tota omnem huic animalium generi respirationem præcipit. Primum enim ita ratiocinatur. Omnia quæcumque respirant, pulmones habent, & guttur, quibus aerem suscipiant, & reddant. Pisces non habent: omni igitur respiratione carent. Deinde respirationi animalibus omnium calidissimis concessa est à natura ad calorem, & internum focum refrigerandum: terrestria verò ferè sunt aquaticis calidiora, quare si terrestria complura non respirant, multò profectò minùs respirabunt aquatica. Nam si ita non esset, pisces, qui minima indigent refrigeratione, duos haberet refrigerationis modos: alterum aqua branchiis attracta; alterum aere inspirato. Itaq; possent illi non minùs extra aquam, quam

in aqua, viuere, si alio modo, quam aqua, nẽpe aere intus suscepto, refrigerari possent. Non enim alia est causa, cur extra aquam intervallo breui moriantur; nisi quod refrigeratione destituantur. In illis etiã, quæ respirant, sit motus in ea parte, qua respirant, hoc est circa pectus: in piscibus nullum aliud, quam branchiarum, obseruamus motum. Præterea dum in aqua moriuntur ea, quæ respirando vixerunt, sicut in aqua bullæ; dum aer egreditur, qui pulmonibus eorum continebatur: hoc in piscium obitu non cõspicimus. Denique eodẽ modo, quo pisces possent & homines, & animalia cætera in aquis viuere: siquidem possent eodem modo respirare. Nunc autem propterea viuere nequeunt, quod nulla ibi esse respirationi possit. Atqui, inquit Philoponus, quomodo fieri potest, ut aer sit in aqua: neque enim aeri natura insitum est, ut in aqua subsideat. Declarant autem & inflati vtrès, & amphoræ inanes, quæ supernatant; & bullæ, quæ fiunt, ubi parua aeris particula intercepta est.

Quæ omnia argumenta tantam vim habent concludendi, ut omnino credendum sit, nullam piscibus respirationem inesse, si proprie, & accuratè loqui velimus: sed eos quoquo modo aqua refrigerari. Extra aquam verò non subito quidem interire, quod vehementem calorem non habeant, à quo statim ac refrigeratione aquæ caret, opprimantur: breui tamen extingui tempore, quod sine refrigeratione nequeant sustentari. Respirationi autem sanguine præditorum, ac terrestrium animalium, quæ maiori calore viuunt, & pulmonibus prædita sunt, propria est. Quod si delphinus, & alia quædam spirant, ut est in c. 12. l. 6. de anim. hist. hæc ancipitis naturæ cum sint, & fistula habent, & pulmones, & extra aquam suscipiunt aerem, & reddunt.

Vniuersè igitur ita res habet. In omnibus viuentibus calor natiuus, & insitus focus, ut alimento, sic refrigeratione indiget; alio qui in se ipsum conuertitur, si suffocaretur, & periret. Quibus maior inest calor, refrigeratione maiori opus est. Calidissima animalia, quæ pulmones habent, crebra aeris mutatione plurimum refrigerantur. Pisces, qui sanguinei quidem sunt, sed pulmonibus carent, per branchias aquam suscipiunt. Exanguia omnia tum terrestria, tum aquatilia, ut sunt frigidiora, ita satis refrigerantur, aut circumiecti aeris, aut aquæ frigore: aut insectorum quædam, quæ paulò calidiora sunt, per scissuras sub transuerso septo admisso aere. Denique plantis satis est, tum aeris tangentis, tum aquæ, quæ sepe rigantur, refrigeratio.

DE ODORATV. CAP. IX. TEXTVS.

Πισεις εδωκις και διαπρατοι, ητοι ενδιδρατοι εν τει ενπιδρατοι ου εδωκις, πετοι η ενδωκις, ουτως ως ο ιδωκις, η το εδωκις, η το εδωκις. ετοι εδωκις, ουτως ως ο ιδωκις, η το εδωκις, η το εδωκις. ετοι εδωκις, ουτως ως ο ιδωκις, η το εδωκις, η το εδωκις. ετοι εδωκις, ουτως ως ο ιδωκις, η το εδωκις, η το εδωκις.

De odore autem, & odorabili minus facile est, quam de Text. 92: 93, quæ dicta sunt, definire. Non enim sic manifestum, quale quid est odor, ut sonus, aut lumen, aut color. Causa autem, quia sensum hunc non habemus exquisitum; sed peiorem multis animalibus. Præter enim odoratur homo, & nihil sentit odorabilem sine molesto, aut incundo; non existente exquisito sensorio.

NNN ij

## COMMENTARIUS CXXIX.

**A** Ccuratè omnino de aspectu, & auditu, optimis, & præcipuis sensibus, actum est. Sed non minus de odoratu agere oportet: atque hoc nunc aggredimur, eademque prorsus methodo, quæ in superioribus obseruata est: ex obiecto scilicet facultatis cognitionem inuestigantes. Propterea statim de odore, & odorabili agendum proponitur. Et si. n. Græca vox (*ὄσμη*) & odoratū, & odorē significet; malumus tamen hoc loco odorem intelligere: tam quia sic postulat tota superior methodus; vt non à facultate ad obiectum; sed ab obiecto ad facultatem progrediamur: tum, vt huius quoque tractationis principium respondeat superioribus, quæ statim obiectum nominant. Aspectum nāque ita in tex. 66. aggressus est: Cuius est aspectus, hoc, est aspectabile, aspectabile autem color, & in-nominatum. Et rursum, auditum in tex. 77. Nunc autem primò de sono, & auditu determinemus. Sed in priore quidem loco obiectum formale, & materiale; sed prius formale ex quo facultas distinguitur, & constituitur: in posteriore autem obiectum, & facultatem; sed prius obiectum nominauit; ex quo facultas cognosci debet. Ita in hoc 3. obiectum materiale, & formale accipit, sed antea id quod materiale est, commemorat: quod & natura sua est prius, & id, quod difficile illam habet cognitionem, de qua loquutus erat. Addit etiam (& odorabili) vt quatenus de odore dicturus sit ostendat. Non inquam absolute vt qualitas quæpiam est sed ex relatione ad odoratum. Absolutam enim considerationem in librum de sensu & sensili differt: quod & in colore fecit. Accedunt sequentia verba (quid sit odor, vt sonus, aut lumen, aut color) rursum enim (*ὄσμη*) nominat. Quare nisi breuissima oratione contineatur omonymia; si in altero odorem interpretamur; in altero quoque oportet non odoratum, vt Philoponus, & interpres Themistij Hermolaus, sed odorem interpretari.

*Curr  
odori  
cognitio  
obscu-  
rior.*

Cognitionem hanc porro obscuriorem esse asserit, arguitque definiri odorem posse, aut illius species distingui; quàm in sono, aut colore, aut lumine definitum sit, aut distinctum: quoniam hæc notiora sunt nobis. Sunt autem notiora, quia faciliè propriam quandam in illis naturam animaduertimus, quæ sensibilis sit, quamque habeant ipsa, etsi nullo sentiantur sensu. Quare & propria eam voce appellamus, quæ non per comparisonem ad sensum dicatur, neque ab eo deflexa sit; sed absolute illis imposita. Vt cum sonum dicimus, colorem, lumen; nequaquam hæc ab auditu, aut aspectu, sed absolute nominamus. Eandem ob causam non fuit difficile aspectabilium obiectorum species distinguere, colorem, lucem, & ea, quæ noctu, & in tenebris solum videntur: quod etsi vni commune nomen nõ habeant, singula tamen propria voce appellantur. Coloris item species, album & nigrum, & alias inter hæc medias distinguimus: & sonum in acutum, & grauem diuidimus. Eodemque modo in gustatu sapores nominamus, & illorum differentias dulce, & amarum, aliasque complures. Ac demum in tactu etsi vnum non sit nomen, calorem tamen, & frigus; humorem, & siccitatem dicimus. At odoratus obiectum nõ alio modo, quàm odorem, & odorabile appellamus.

**A** Quæ voces absolute non sunt; sed ambæ ab odoratu deflexæ; & obiectum potius formale, quàm materiale, & id, quod odorari debet, significant. Non inquam naturam sensilem sed illius ad sensum habitudinem. Deinde odorum quoque species exactè discernere, aut nominare difficillimum sanè fuerit: quoniam neque genus, neque species satis cognoscimus.

Itaque verba illa (non enim sic manifestum, quale quid sit odor, vt sonus, aut lumen, aut color) duobus modis interpretari licet. Aut de genere vniuerso, quod in odoribus voce quidem ab odoratu deflexa nominamus, sed quantum qualitas, aut natura sit, dicere non possumus; quemadmodum cum sonum, lucem, colorem, appellamus: Aut de speciebus, aut differentis odorum quas distinguere satis non valeamus, qualis vnaquæque sit; sicut species, & differentias reliquorum sensuum obiectorum separamus. Etenim hunc odorandi sensum minus, quàm ceteros, exquisitum, & certum habemus: immò deteriore omnino, quàm animalia quædam. Nam inter quadrupedia canis, inter volatilia vultur multo melius odores vel maxime remotos persentit: cum nos vix propinquos comprehendimus, nec nisi cum sensu iucundi, aut molesti, suauis, aut ingrati. Quasi minus certus, & efficax sit hic sensus ad ipsos per se, & secundum suam naturam cognoscendos, & distinguendos.

Quod non temerè, & absque summo consilio factum est à communi omnium parte natura. Sed propter eam causam, quòd ceteris, quæ ventris, ac libidini mancipauit, eum sensum dedit propter gustatum, quò minus accuratè, & distinctè vtuntur. Et idè odoratu potius, quàm gustatu, persentunt, & quasi prægustant cibos, antequam comedant; deinde auidè statim arripunt: & vt suis etiam temporibus Veneris libidinem sectentur odoratu incitata, & ducta; vt in canibus est manifestum. Homo cum calidior sit, omni tempore ad libidinem prouocatur: & vt exactissimum habet tactum, & idè etiam gustatum, sic non odoratu, sed gustatu ipso tentat, & prægustat cibos, tum comedit. Quare exactiorem in ceteris, quàm in homine, odoratum esse oportuit, vegetatus imperfectio compensaretur, atque in ce tanto pere necessaria, illis quoque satis consultum esset. Quamquam si ceteros quoque percurras sensus, in illis videbitur homo à compluribus aliis animalibus superari. Scitum enim est illud;

*Nos sus auditu, linx visu, simia gustu,  
Vultur odoratu præcellit, arsanea tactu.*

**E** At duobus modis posse hos sensus comparari, exactioreque dici, aut quòd magis dista s obiectum, aut quòd plures illius differentias percipiant; autor est Arist. in 5. lib. de animalium ortu cap. 1. & 2. Quòd aut in maiori distantia & minore obiecti gradum percipiant; essentialis non est perfectio: quoniam in eadem plerumque specie reperitur, & vnus homo perfectiorem hoc modo aspectum, aut alium sensum habet, quàm alius. Et essentialis perfectio, & distinctio ex eodem cap. petenda est, ex quo essentia petitur: neque ex distantia, aut obiecti intensio, vel remissione, quæ conditiones, & modi tantum sunt; sed ex obiectorum natura sensuum essentia petitur. Atque in eo consistit, vt plures obiecti sui differentias ac species comprehendat; vt quemadmodum talis facultas

facultas cognoscere esse dicitur, quod obiectum esse cognoscit; ita essentialiter dicitur esse tanta perfectionis; quia tot illius species, ac differentias percipit. Quod indicavit quoque Philosophus, ubi maiorem aspectus, quam aliorum sensuum, perfectionem ex eo deduxit, quod plures rerum differentias cognoscit. Hoc verò prælat homo animalibus omnibus. Aspectu quidem, perceptione, ac distinctione perfecta colorum omnium, & proportionis illorum. Auditum, ut in musica maxime, & harmonia perspicuum est. Gustatus item, & tactus exactissimi sunt; & in tex. 94. & in lib. de sensu, & sensibili cap. 4. & primo libro de animal. hist. cap. 17. hic tactus dicitur esse certissimus, & exquisitissimus, deinde gustatus; quia est quidam tactus. Tactus namque hoc à cæteris distinguitur sensibus, quod organum habet ex ijdem qualitatibus compositum, quæ ipsius obiectum sunt: nempe carnem, aut eiusmodi quidpiam, quod ex elementis, quatuorque tactilium qualitatum temperie confert: deinde asperum, lenem, durum, molle, & similia alia. Quò fit, ut nullus cuiusque animalis tactus sentire possit quemlibet gradum qualitatis; quia sensum eo cætere oportet, quod sentire debet: & ideo vnicuique caloris gradum non sentit, quòd illum in se contineat; sed illius duntaxat excessum. Reliqui sensus, cum ex suis obiectis non constant, quamlibet eorum remissionem percipiunt, si distantia ratio servetur. Itaque quòd qualitas in organo tactus remissior fuerit, eò remissior in obiecto sentitur. Quoniam autem homo organum tactus maxime omnium temperatum habet; fieri quidem potest, ut animal aliud quodpiam qualitate minus intensam percipiat; sed vix eius contrariam sentiat, quòd in ea nihil abundet. Homo omnes simul exquisitè sentiat. Quoniam enim quòd vna qualitas remissior est, eò intensior existit eius contraria: sicut quidem, ut animal, quod minimum habet frigoris, minorem, quam homo frigiditatem presentiat; sed imbecillior habet caloris sensum. Homo qualitates omnes perquam temperatas habet, statimque cuiusvis excessum sentit, omnesque simul tactilium qualitatum differentias exquisitè multò, quam animalia cætera, sentit. Hinc est, quòd eadem res vni videtur calida, alteri tepida, aut etiam frigida. Facit id enim diversa organi dispositio, quæ maiorem, minoremque calorem habet.

Eandem ob causam lacrymæ ex nimio risu profectæ videntur frigida; calidæ autem, dum ex dolore, & motore proveniunt. Nam qui magno pere tident, his genæ sunt calidiores propter spiritus, & sanguinis copiam, quæ ad exteriores partes erumpit. Illis autem qui dolent, sunt frigida, quòd ad interiora calor contrahatur.

Superest odoratus, qui hoc præsertim loco cõsideratur. Hoc item sensu quadam ex parte cæteris omnibus præstat homo. Nam, ut est in cap. 5. libri de sensu, & sensibili, animalia cætera, ut odoratum habent propter gustatum, ita non videntur habere sensum odorum per se, quatenus suaves sunt, aut ingrati: sed solum ab odore moveri, quatenus est odor alimenti, ex quo adventitiam habet (ut Alex. loquitur) suavitatem, aut molestiam: non illius propriam, sed ex adiunctis saporibus derivatam, qua ratione sunt saporum nuntij. Solus homo suavis odoribus per se delectatur, ut si orum, & aliorum similia, quæ nihil conferunt, aut ingri-

tant ad alimentum. Quidam odorum (inquit Aristoteles) per se ipsos suaves sunt; quemadmodum illi, qui florum: nihil enim magis, vel minus ad cibum invitant. Et paucis interpositis. Hoc igitur odorabile proprium hominis est: quia autem secundum saporis ordinatus est, & aliorum animalium, &c.

Quò fit, ut non semper cibi odore oblectetur homo, quin potius offendatur satur: delectatur solum, dum esurit. At florum, aromatum, & similia rerum odores oblectant semper. Atque hoc fortasse est, quod hominem dixit odores non sentire sine molesto, aut iucundo, hoc est, sine sensu ingrati, aut suavis; quæ bestia nequaquam sentiunt: & ideo magis sincerum, & purum odorem percipiunt; dum homo tutum quasi cum suavitatem, aut molestiam implicatum sentit. Huius quoque causam eo in loco reperies. Idcirco enim tradidit Philosophus homini præ cæteris datum esse sensum odorum suavis florum, & similia; ut nimum cerebri frigus, & humidum (habet enim is inter omnia frigidissimum, & humidissimum cerebrum) quoquomodo temperaretur. Quòd si nimis vehemens sit interdum actio, sentitur molestia.

Hæc mihi videtur esse posse huius loci interpretatio. Altera magis accommodata. Homo præ se odoratur: quod ex effectu cognoscitur. Quoniam nullum odorem sentit sine molesto, aut iucundo, hoc est, nullum odorem, nisi vehementem, qui molestia, aut delectatione afficiat. Nimirum propter organi minus temperatam dispositionem. Habet enim cerebrum, & quantitate maximum, & qualitate frigidissimum, & humidissimum. Quate cum odor calidi sit, & sicci; moveri illud non potest, nisi à vehementi odore; à tenui, & exili non potest. Dum autem à vehementi movetur, vehemens passio (inquit Simplicius) impedit, quòd minus purum sit iudicium. Præterea cum illius organum sit intra cranium, magis reconditum est, quam cæterorum sensuum organa, eique os appositum est. Quare non facile odoribus patet aditus, nisi per quædam foramina, quæ à spongiæ figura *σπγγιοειδῆ* nominantur. Non recto, sed obliquo ductu: eaque persæpè pituita oppleta sunt; quæ eò magis abundat in homine, quòd maius, humidius, & frigidius cerebrum. Itaque non nisi à vehementi odore movetur. Animalia cætera, ut calidiori, & sicciori sunt cerebro; sic meatus illos patentiores habent, & emunctiores; meliusque tenuibus, & distantibus odoribus permoverentur.

Hoc est, quod Aristoteles minus exquisitum organum nos habere dixit, quam animalia cætera; vereque affirmamus homines illos, qui bene odorantur, hoc est præcise & tenuem quemlibet odorem sentiunt, stolidos esse, & mente rudes ingeniosos autem quosque & qui mentis viribus valeant plurimum, nihil nisi propinquum, & vehementius odorabile sentire. Nam illis calidius est, & siccius cerebrum; quo ad brutalem conditionem magis accedunt. His frigidius, & humidius; ideoque magis sunt ad omnia mentis monera apti; quòd melius spiritus temperetur.

Sentimus quidem igitur, & nominamus iucundum, & molestum: at quantum sit ea natura; quæ iucunda est, aut molesta, dicere non

Tactus  
sensibus  
organum

Cur  
odora-  
tus ho-  
minis  
obsta-  
tur.

Odora-  
tus in-  
genij in-  
dicium.

Odora-  
tus ho-  
minis  
obsta-  
tur.

possumus; quoniam odorabilia exactè non percipimus; sed iucundo solo, & modesto ea discernimus. A quibus si odores nominemus, non illorum naturam, sed modum, quo efficiunt sensum, significamus. In cæteris sensibus non solum cognoscimus hoc esse iucundum, aut molestum; sed etiam dicimus esse colorem viridem, aut album; saporem dulcem, aut amarum; eodemque modo in sonis, & tactilibus qualitatibus.

Quare tribus modis homo à bestiis odoratu superatur. Primum, quòd illa magis remotum odorem sentiunt; ut vultures. Deinde, quòd vel minimo odore mouentur. Tertio, quòd plures odorum differentias percipiunt, quas homo nullo modo sentit. Quorum utrumque manifestum est in canibus ferarum vestigia persequentibus, amicumque ab inimico; & dominum ab alio quouis, cæterisque bestiis filios odoratu dignoscuntibus: & hominem propterea statim Philosophus comparabat animalibus duos habentibus oculos.

Tertiam illorum verborum interpretationem habes apud Themistium. Ut sentire odores cum oblectatione, aut fastidio, argumèto sit huc in nobis sensum imbecillum esse, & infirmiore omnino, quàm cæteros, qui nec delectatione, nec fastidio à suis afficiuntur obiectis. Quod Plutarchum quoque sensisse scribit Simplicius. Quàm hæc interpretatio sit probanda, viderint alij. Certè si molestia affici imbecillitatem argueret, ego de oblectatione, & voluptate non idem affirmarem: præsertim cum pugnancia sint, nec ex eadem causa proficisci queant. Deinde minùs verè dici arbitror, reliquos sensus à suis obiectis oblectatione, aut molestia non affici. Sed omnes potius video proportionatis, & moderatis obiectis delectari, & ab extremis, atque immoderatis perturbari, ut molestia affici. Delectatur aspectus colore viridi, & moderata luce; auditusque consonantia, & harmonia; & gustatus dulci sapore; ac demum tactus ne quapiam molli, & benè temperata. Contrariis verò omnes magnopere offenduntur.

*Digestio XLIX. Cur tertio loco de odoratu differatur.*

Verùm inchoatam interpretationem cogor tantisper interrumpere. multos. n. video primis hæc Philosophi verbis magnopere perturbari; nec parùm mirari, cur hoc loco de odoratu agere aggrediatur. Si enim (inquiunt) tam est hic sensus in nobis imperfectus, & oblat; si tam incerta, & obscura odorum natura; cum is profiteatur se notiora persequi, atque ab illis ad ea, quæ ignotiora sunt, progredi: cur non antea de tactu, & gustatu differuit, qui certiores multò sunt sensus; deque illorum obiectis, quæ magis cognita, atque perfecta habemus?

Ego verò horum hominum argumentatione ne tantillum quidem commoueor, neque à suscepta interpretatione eorum me vnquam oratio reuocabit. Nam & veteres omnes sequar interpretes, qui aut aduersus hanc Aristotelis methodum ne hicere quidem ausi sunt; aut eam magnopere comprobauerunt. Philoponus namque post aspectum, & auditum, odoratu tertium locum tribuendum fuisse demonstrauit; ut ita huius sensus cognitio, atque explicatio in vniuersa hac

A sensuum contemplatione esset media, quemadmodum is inter omnes sensus est medius, ut in libro de sensu, & sensili cap. 5. affirmat Aristoteles. Est enim medius tum operatione, tum obiecto, & natura. Nam si operationem consideres, aspectus & auditus obiecta sua sentiunt vel remotissima, & aspectus magis, quàm auditus, quòd spirituales sensus sit. Gustatus, & tactus non nisi planè coniuncta; quòd maximè materiales sint. Odoratus media virtus est, & conditio: quippe nec tam propinquum obiectum postulat, nec tantopere distans, sed medio quodam modo positum persentiscit. Obiectum porò, ex quo tota sensuum natura iudicari debet, ipsum quoque medium est. Quoniam aspectus quidem circa colores, & lumen versatur: lux in tota hac elementari regione ignis propria qualitas est, colorque ex luce cum opaco, & perspicuo permixta gignitur. Auditus autem percipit sonos, qui sunt aëris. Gustatus sapores, & succos, qui sunt aquæ: tactus dura, solida, & terrea prorsus corpora. Odoratus versatur circa halitus, qui mediæ cuiuspiam naturæ sunt. Medix (inquam) aut inter terram, & ignem, ut halitus siccus; aut inter aquam, & aërem, ut vis, qui est humidus.

Neque his quisquam existimet disputationem illam aduersari ab Aristotele in cap. 2. libri de sensu, & sensili susceptam aduersus Platonem alteram aspectum esse ignis. In ea namque de organo quæstio est, non de obiecto: oculumque aquæ, & ignis, nature esse optimo iure contenditur. Hoc autem loco non de organo, sed de obiecto, deque facultate per se considerata nobis est sermo. Et nisi Plato sententia suæ argumentum ex oculo deduxisset, facilè posset rotam illam controuersiam, si que componi.

Cæterùm hoc quoque intelligere potuissent illi, qui hanc in sensibus pertractandis methodum criminantur. Hominem quidem animalia cætera tactu superare, quòd perfectiorem habeat qualitatum tactilium temperationem, eumque maxime tum temperatam, tum delicatam; & idè etiam gustatu; quoniam gustatus est quidam tactus. Tactum tamen nequaquam esse cæteris sensibus certiorum, cum is materialis maximè sit, & corporeus. Sed certiores esse aspectum, & auditum, de quorum altero scriptum est in præmio librorum Metaph. eum nos facere plurimum cognoscere, pluresque differentias manifestare: & de altero in libro de sensu, & sensili cap. 1. eum esse disciplinæ sensum. Quòd si secus eueniat, ut de odoratu præsertim hoc loco affirmatur; id non ex natura sensus euenire, quòd infirmior ea sit, & imbecillior: quia quòd minùs corporea est, magisque eleuata à materia; èd est ad cognoscendum aptior. Verùm id ex accidenti fieri, neque culpandum esse sensum, sed organum, quod minùs benè affectum sensus operationem obrundit, & hebetat; aut etiam organo impedit. Ita nimirum in odoratus organo rem se se habere superior commentarius declarauit.

Accedit, quòd hoc loco non considerantur sensus, quatenus in homine sunt, ut in de tractationis ordo deriuandus sit: sed vniuersè, & secundum suam naturam. Quæ etsi in homine sensus haberet, ob idque pars hæc tractationis futura nobis esset difficilior, minisque distincta non tamen propterea inchoata methodus à melioribus,

Homo ut à bestiis superetur.

Sensus omnes obiectis suis delectari, vel molestia affici.